



2

Je 5. num. 31. 1763

1763

7^a

8

DE
PECVNIAE DETERIORIS
 ATQVE
MELIORIS EXAEQVATIONE

PRAESERTIM IN MVTVO
 DISSERTATIO IVRIS NATVRAE POLITICI
 QVAM

A. D. XVIII MAII MDCCCLXIII

PVBELICE VENTILANDAM PROPONVNT

PRAESES

IOANNES DANIEL TITIVS

PHYSICES PROF. ORD

ET

RESPONDENS

IOANNES CHRISTIANVS FRANKE

WITTEBERGENSIS

IVR. CVLTOR



WITTEBERGAE

IMPRIMEBAT EPHRAIMVS GOTTLOB EICHSFELD

ACADEMIAE TYPOGRAPHVS



P. 19



DE
REGVM BETERIORIS
ATQVE
MELLIORIS EXAEQVATIONE
PRAESERTIM IN MVTVO
DISSERTATIO IVRIS NATVRAE POLITICI
AVT
A. B. VAN DER KAMM
PUBLICE VENTILANDA PROPOVNT
FRANCO
IOHANNES DANIEL TITIVS
PHYSICVS PROF. ORD.
ET
RESVNDENS
IOHANNES CHRISTIANVS FRANK
WITTEBORG
IVR. CVR.

WITTEBORG
IMPRIMERAT ERNESTVS OTTO RICHTER
ACADEMIAE





in salute reipublicae curanda, qua principibus et civibus nihil sanctius esse potest, haud infimi commatis est, rerum, quibus communi vita indigemus, facilis acquisitio, et mensurae earundem asserta legibus aequalitas. Ea, ut in omnibus necessariis rebus, sic potissimum in pecunia, pretii mensura rerum, est constituenda; ut inter eius tot diuersas species atque notas, quilibet habeat cognitum, quaenam pecuniae exaequatio, quidue sit, ad quod potissimum, in diiudicanda eius aequalitate, sibi expediat attendi. In qua determinanda minus inesse difficultatis, si, quod statui vix potest, aut generum moratarum numi semper essent iidem, aut vnus tantum statim per legem bonitate semper manerent, neque diuersis temporibus, casibus et necessitatibus mutarentur saepissime, et notae suae aliquid amitterent. Vidimus, ut ad rem nostram accedamus, in praesens tantam pecuniae deprauationem, tam peruersum rei numariae statum, ut, quod pecuniae statuendum sit pretium, quilibet aut nesciat, aut in tale nos rerum discrimen deiectos credat, quo, sicuti in Gallia, Lawi quondam tempore, omnibus, praeter pecuniam, rebus pretium habeatur. Hac igitur aetate, cum haud raro contigerit, ut alii necessitate adacti ad onera ferenda pecuniam mutuo fuserint; alii cum ad res suas locupletandas, tum ad aliorum iuandas mutuo dederint: mutuum tamen, vilissima numerum specie datum et acceptum, praestituto tempore in meliore moneta est restituendum. Quare super vilioris pecuniae et melioris aequalitate disceptaturi, videamus oportet, quid conueniat rationi et ex reipublicae

blicae sit vtilitate. Istud enim mutui genus, quo certa pecuniae vi-
 lioris summa mutuo data est, restitui in moneta debet meliore, ex
 mutuae et restituendae pecuniae exaequatione vniue dirimendum
 venit. Nempe, si, positis reliquis contractus momentis, summa da-
 ta restituendae aequalis est, neutra pars laeditur, effectus mutui de-
 struitur omnis, et res post solutionem talis est, qualis fuit ante mu-
 tuum contractum. Quin, hoc modo iuris praecepto fit satis, quod
 in mutuo tantumdem generis et qualitatis restituendum sit; hinc pec-
 unia, res fungibilis, vsu et alienatione consumenda, non eadem, quo-
 ad indiuidua, sed quoad genus, speciem aiunt Icti, cum eadem qua-
 litate rependi oportet.

Iam ad faciendam hanc exaequationem nonnulla de pretio pec-
 uniae praemittamus, est necesse, quae raceri plerumque solent ab
 iis, qui in restitutionis indolem data opera inquirunt. Scilicet pre-
 tium est mensura bonitatis rerum in commercium venientium: ad
 aequalitatem autem istas res in permutatione adducere, idem est, ac
 bonitatem, quae ex copia et vsu aestimatur, earundem determina-
 re, et tum copiae, tum vsus rationem talem inire, vt vtrius-
 que comparatione vera rei bonitas constituatur. Et quidem pecu-
 niae, quae mensura communis pretii rerum et operarum dicitur, ve-
 rum pretium, siue verus valor, est eius ratio ad pretium rerum;
 hinc pecuniae pretium est in ratione vsus et copiae rerum. Sed
 constat, pretium rei augeri, si augetur; et minui, si minuitur rei
 vsus: contra, crescente rei copia decrefcere; et decrefcente eadem,
 crescere. Inde manifestum est, pretium rei esse in ratione compo-
 sita ex directa vsus, et inuerfa copiae. Si rei cuiusdam ingens est
 vsus, v. c. triplo maior, quam antea, pretium rei est triplum prio-
 ris; si vsus est idem, et copia rei triplo minor, pretium rursus erit
 triplum. Aucto ad triplum rei vsu, et diminuta eius ad triplum co-
 pia, sexies tantum pretii pro re pristini rependitur. Ex quo collige-
 re licet, pecuniam, tanquam communem rerum pretii mensu-
 ram, repraesentari per res, quae sunt signa pecuniae aequivalentis.
 Quare sequitur, vt pecunia in se aliquid habeat, quo re, cuius est
 pretium, compensari debeat, neque enim res comparari inter se,
 multo

multo minus aequiparari. possunt, nisi, quod comparationem, et aequalitatem efficiat, ipsis aliquid natura insit. Quod cum sola rerum comparatarum bonitas sit, in pecunia, vt in aliis omnibus rebus, bonitatem, vsum et copiam considerari debere nemo dubitabit.

Res in vniuerso eiusdem speciei, merces item et operas speciei easdem, liceat nobis cogere in quantitates integras, in genera quaedam superiora, quorum quodlibet pro vsu et copia, siue pro bonitate iusta, reliquis proportionale et respectu alterius pretium erit; aut quod idem valer, quaelibet rerum earundem quantitas integralis pretium erit omnium reliquarum: nam quorum esse debet permutatio, ea quadam ex parte comparabilia sint oportet. Idem obtinebat in permutatione rerum ante inuentam pecuniam antiqua. Deliberandum itaque fuit, vtra harum rerum quantitas ad mensurandum reliquarum pretium aptissima esset; certe ea, quae in partes facile quaelibet diuidi, in varias duci formas, diuersasque subire mutationes possit. His, aliisque de causis, pretiosa metalla, aurum et argentum, communi omnium rerum mensurae visa sunt dignissima, quae deinceps pecuniae materiam suppeditarent. Porro ponamus, omnes res in mundo constituere quantitatem aliquam totalem, siue totam aliquod supremum; atque aurum et argentum, quorquor habetur in mundo, alterum totum supremum: patebit, totum rerum ad totum metallorum pretiosorum, et versa vice, imo quamlibet totius rerum partem, ad similem totius metallorum partem, pro ratione vsus et copiae, analogiam constantem esse habituram. Atque id quidem de pretio rerum ratio nos docet. Pergimus, si ista rerum et metallorum tota manent immutata, pretia eorundem proportionalia immutata quoque manebunt et fixa; e contrario, quaelibet mutatio proportionem vnius ad alterum, consequenter pretium, variabit. Esto, vsum mercium augeri, aut copiam minui, aut vtrumque contingere, mercium pretium respectu metallorum illico augetur. Idem de metallis valebit, quorum, si vsus aut maior, aut copia minor occurrit, ad mercium pretium sine dubio crescet; et sic modo inuerso. Idcirco, cum mercium

totius integralis quaelibet pars aliquota, v. c. centesima, ad partem totius metallorum aliquotam eandem, i. e. centesimam, proportionalis sit, factum est, ut metalla in partes, maiores minores, diuiderentur, quae parti mercium congruenti aequales pretio essent. Ista pretii aequalitas eo usque salua constabit, dum partium congruentia subsistit, qua demum sublata, pretii reciproci aequalitas simul tollitur. Hinc mercem viliozem adpello, quae ad pecuniam alias sibi aequalem, pretium iam habet vilius; et pecuniam viliozem, quae ad merces alioquin sibi aequales comparata, pretium nunc vilius habet. Vnde autem hoc oriatur, ut pecuniae pretium sic euilescat, paucis dicam. Videlicet, si usus et indigentia auri argentique, deficiente eius copia, subitis incrementis augetur, principes necessitatem in rationem vertunt, et de auri argentique partibus, quae ceruae mercium parti pretio pares ponebantur, aliquid iubent detrahi, eoque modo in mercium et auri argentique pretio inaequalitatem inducunt. Ea enim merx, cuius pretii aestimationem argenti libra metimur, non se libra aut vncia mensurari potest, nisi permutationis fundamentum, aequalitatem, tollere velis. Hinc, quo minus inaequalitas, qua minores auri argentique particulae in maiorum locum substituuntur, in oculos incurrat, id, quod de auri et argenti massa detrahitur, viliori metallo, cupro aut aere compensatur, ut extrinsecus eadem magnitudo, idem pondus, forma item et quantitas eadem adpareant. Quare metallum pecuniae pretiosum hoc modo multum a priore bonitatis gradu dissidet, et pretiis rerum, simili quo antea mensurandis modo, adhiberi amplius nequit.

His praestructis, facilis nunc ad monetam, siue ad pecuniam signatam transitus! Numus omnino pretium rerum definit, quoniam est pecunia; at vero non tam mensura rerum commutandarum, quam potius commutationis instrumentum ex auctoritate publica est. Namque pecunia signata, qua metallum, ex quo constat, pretii est mensura rerum; sed qua characteres impressos pretii huius signum est. Igitur in moneta attendi oportet, tum ad verum, quod ei subest pretium, tum ad signum quod extrinsecus praefert. Si pecunia non esset cura, neque signum pretii praefixum haberet, multis

multis superfedere res humana litibus posset, quibus fora dies perpetuos strepunt. Nunc, cum pecunia signata vtendum sit, quae, quantum a corruptione distat, tantum nobis commodorum adfert: nemo infitiabitur, in pecuniae ad inuicem comparatione ad materiae eius puritatem recurrendum esse. Nempe si moneta commutatur argentea, ad id respiciendum est, vt tantundem argenti eiusdem notae, quantum dederis, recipias. Idem valet de monetis aureis commutandis. Sed si aurea cum argentea, et vice versa confertur, proportionis leges, aurum inter et argentum, obseruandae sunt. Namque proportio, qua argento aurum certo pondere rependi et commutari solet, non eadem olim fuit, et nunc est vbi-que. Autores veteres sex insigniores argenti ad aurum proportion-nes recensent. Prima argenti ad aurum proportio septupla cum semisse est, ea videlicet, qua aurum argento septies tanto cum semisse rependitur, tempore Iulii Caesaris; secunda est decupla, apud Iulium Pollucem; tertia duodecupla, ex Platone; quarta duodecupla cum semisse, Galbae imperatoris aetate; quinta terdecupla, qua terdecies tantum argenti pro auro persoluitur, secundum Herodo- rum; sexta quindecupla, ex Plinio; de quibus plenior in M. Hoffi Historia antiqui rei nummariae, extat narratio, (*Script. Rei num- mar. vet. p. 324. sqq.*) quam consulat curiosus lector.

Iam mutuam spectemus, quo certa pecuniae summa leui- oris, contractus tempore vsitatae, ea quidem lege in praefinitum tempus credita est, vt eo praeterlapso in moneta corrente et solita restituatur. Solutionis tempore moneta multo melior atque vl- tra dimidium pinguior currit; de restitutionis adeo modo discepta- tur. Cuius quidem rei discussio ad componendam creditorem in- ter et debitorem, inter pecuniam mutuatae et restituendam, aequa- litatem redit. Nempe in contractu mutui, vt in omnibus, lege de- finitum est, vt neutra pars plus minusue accipiat, quam altera det; neque plus minusue, quam acceperit, restituat. Id quod Icti, po- testatem secuti vocabulorum, plerumque efferre sic solent: tantun- dem pecuniae restituendum est creditori, quantum is dedit. Si di- cimus pecunia mutuata reddenda est, hoc dicimus: nos tantundem eiusdem

eiusdem, quo acceperamus, generis et bonitatis, reddere. Namque reddere, interprete Seneca, est rem pro re (pecuniam pro pecunia) dare. Pecunia, res fungibilis, ideo datur, ut debitor ea utatur fruat, quoad liber. Igitur quaestionis cardo in eo vertitur, ut definiamus, quid sit id, quod pecuniam eandem, siue tantidem pecuniae in contractu mutui appellemus. Si dicendum, quod res est, eadem s. tantidem pecuniae restituitur, quando pro pecunia restituta coemere easdem merces et aequae bonas, quas pro mutuata, possumus: siue quando pecunia reddita ad omnis generis mercimonia eandem habet pretii proportionem, quam mutuo accepta habebat: mercium pretiis propter maiorem aut usum aut raritatem ab tempore inde contractus vix, ac ne vix quidem, mutatis. Etenim pretia communiter funguntur (*l. 63. D. ad l. Falc.*) id est, vnum pro altero ponitur, et ex vulgari rerum similibus pretio, et communi hominum usu et frequentia aestimantur.

Haec, quae ex pecuniae indole eruimus, internam eius, ad quam sciti, damni evitandi causa, tantopere prouocant, bonitatem egregie illustrent. Vtraque summa, mutuum data et restituta; posita bonitate interna vtrinque eadem, ad res, quibus vita indiget humana, idem habent pretiam; ergo summa mutuata certam mercimonii speciem, eodem prorsus, quo reddita, modo, quin eodem loco (*l. 35. C. de donat.*) metitur: prior v. c. pretium fuit quatuor vini amphorarum rhenani generosi; posterior, necesse est, tot omnino amphorarum eiusdem notae vini sit, si vini copia aut indigentia mutationis quidpiam interea temporis non passa sit. Ex mutuo obligationi si satisfacimus, omnem mutui effectum destruimus, et rem ad eum, quo ante fuit, statum deducimus. Rem Grotius (*II, 12. 17.*) concinne his verbis dirimit: pecunia functionem naturaliter recipit, non in materia sola, nec in speciali appellatione aut forma, sed in genere magis communi, qua scilicet comparatur ad res aut omnes aut maxime necessarias, quae aestimatio, si aliud non conuenierit, facienda erit tempore ac loco solutionis. Quo ipso diserte innuit, pecuniae ad pretia relatae rerum tantidem restitui debere; ut videlicet ad res tempore et loco solutionis easdem comparandas suffi-

sufficiat, quas contractus tempore pro mutuata comparare potuimus.

Monetae mutationes accidunt vel in materia, vel in forma. Materiae nomine continetur metalli, ex quo moneta constat, massa et pondus, aequae monetae bonitas vocari interna solet. Forma aestimationem impressam, seu pretium in moneta signatum comprehendit, et vocatur bonitas externa. Modum monetae, siue pedem monetalem ad internam monetae bonitatem refero, quod medium bonitatem cognoscendi internam, per admixtum argento aes vilis, est. Iam monetae bonitas interna principium est, ex quo directe externa deriuatur; et ea demum integra et bona dicitur moneta, cuius character seu typus non exprimit, nisi pretium monetae verum et internum: ut adeo monetam bonam appellare possem, cuius interna bonitas externae, internus valor externo, congruit; congruere autem vtraque inuicem vel propterea debet, ne pretium temere mercium intendatur neue commercia cum exteris, quae sola monetae bonitate interna nituntur, difficulter alantur. Si ex selibra argenti puri XII solidos cudi legibus aequae ac auri ad argentum analogia cautum est: in quolibet solido $\frac{1}{12}$ selibrae auri puri inesse debet, in floreno $\frac{1}{8}$, et in tremisse $\frac{1}{8}$ eiusdem. Idcirco mutata monetae bonitate interna, aucta vel minuta, fieri legitime nequit, quin ad eandem proportionem externa quoque augeatur vel minuat, quippe quod naturae monetae et legibus conuenit; at, si interna bonitas mutatur, externa immutata, id vero contra rationem fit, et contra ius, siquidem monetae aestimatio constans debet esse (*l. z. D. de contr. emt.*). Omnes quidem rei monetariae consulti optarunt, ut valor monetae internus, sine indicio eius externo mutaretur numquam, quod ea commutationis ratio foret legitima nec ullam pareret bonitatis collisionem. Id vero, quam rarissime obseruari, constat inter omnes. Inde interni cum externo valoris oritur pugna, quorum vterque in aestimandis rerum pretiis quum locum habere nequeat, qui monetae constanter inhaeret et vere, internus praefertur. Quam ob rem, bonitatem monetae siue valorem duplicem, verum et insitum alterum, alterum imaginarium esse et impositiuum, soleo dicere.

dicere. De pecuniae valore rogatus sententiam, quem, quaeso, alium iudicarem, quam verum, quam infirmum? Hic pretio inferuit rerum permutandarum; hic aequalitatem cum rebus constantem, sine qua nulla propemodum rerum est permutatio, definit.

Ad istam quaestionem expediendam: quomodo pecunia vilior mutuo data restituenda sit? nunc probatum ibo, internum summae utriusque, mutuatae ac reddendae, valorem comparandum esse atque aequiparandum, et secundum exaequationem fieri restitutionem debere. Esto exemplum quotidianum! Caius a Scio 1000 solidos (*thaler*) accepit mutuos, eosque monetae leuioris in tremissibus pseudosaxonis (*an Epbraimschen* $\frac{1}{3}$), triennio tempore solutionis praefinito. Valor verus monetae, quae restitutionis anno in usu est, ad valorem monetae mutuo datae se habet, ut 8 : 3; quapropter summa Scio restituenda reperitur, 3. 1000 : 8 = 375 solidis. In genere restitutionis summa ad summam mutuo acceptam, ut valor monetae restituendae internus, ad monetae mutuo acceptae internum se habebit; siue breuius, summae mutuatae et restitutionis erunt in ratione valoris earundem interni. Haec sententia generalis est et fundamentum iuris, super quo in restitutione mutui tantopere disceptari iureconfulti solent. Rem in se manifestam et iudicatu facillimam obscuram et rixosam faciunt, qui ad iuris hic, quam ad rei numariae confugere decisionem, qui caussarum patronos quam numularios et viros monetales malunt audire. Horum enim rationes apud ipsos iudices sunt cum fidei, tum autoritatis.

Sic in mutui restitutione utriusque summae valor internus comparandus est, et exaequandus. Huius comparationis necessitas aequae et iustitiae partim ex antecedentibus, quae de pretio pecuniae strictim attigi, partim ex mox subsequendis deducitur. Et primo quidem ex mutui, quod ad contractus reales refertur, naturam agimus, dum contrahimus de summa. Quis, amabo, summam de qua contrahitur, magis imaginariam, imposititiam, nominalem: quam veram, quam realem, quam fixam existimaret.

Summa

Summa autem pecuniae eatenus tantum vera est et realis; quatenus per verum et realem pecuniae, de qua agitur, valorem, siue pretium, constituitur. Respicimus ad rem, minime ad nomen, nisi hoc illi exacte conueniat. Nomen pecuniae est aliquid impositiui, principis plerumque pendens ab arbitrio. Res, id est pretium pecuniae in situ, est constans quid, nec facile vnus, vel plerumque, obnoxium mutationi. Cum igitur internus, qui solus est realis et verus valor, sit restituendus, isque sine eiusmodi vnus ad alteram summae haberi nequeat reductione, sequitur, vt illa admodum sit necessaria. Interno valore reddito, redditur tantundem, quantum est acceptum: id, quod iuri maxime est consentaneum. Nam in mutuo quantitatem damus, ea lege, vt eadem nobis reddatur in genere. Per quantitatem autem res in pondere, numero aut mensura consistentes intelligi volunt doctores, quarum talis est similitudo et aequalitas, vt altera alterius vice per solutionem in genere suo fungantur (*Cuiac. II. obs. 37.*) Idem ex actione mutui, siue ex certi conditione, ostenditur. Nam, quod, quid quale quantumque sit, ex se vel ex circumstantiis suis apparet, certum est (*l. 74. 75. D. de V. O. l. 6. D. de reb. cred.*); sed certum ex contractu, quomodo condicere licet, si id, de quo instituitur actio, incertum est, nec determinatum satis?

E contrario, quod alterum est momentum, neglecta hac reductione, et facta secundum nomina, id est secundum summas restitutione, debitor ultra modum laeditur, creditore lucrum faciente immodicum. Caius a Seio mutuos sumisit mille solidos monetae reprobae, quae quinque octonis partibus restituenda est deterior; Caius impendit conductam hanc summam exercendis negotiis et coemendis, quaestus faciendi causa, omnis generis mercibus. Sed mille solidorum monetae deterioris nequaquam tantundem, quantum mille melioris monetae, valent. Si emisset pro his quadraginta amphoras vini rhenani generosi, pro istis non emit nisi amphoras quindecim. Quare Caius ex mille nummum deteriorum trecentos tantum septuagenos quinos meliores recepit, quos dare ipsi Seio istorum loco potuisset, debuissetque. Quin Caius, si Seio mil-

lia solidorum monetae probae, et $\frac{5}{8}$ melioris ipsa moneta accepta, reddere iubetur: re vera ipsi 2666 $\frac{2}{3}$ solidos, eiusdem, quam a creditore suo acceperat, monetae vilioris reddet. Ex quo, debitorem, qui summam mutuam in moneta $\frac{5}{8}$ meliore reddit, ultra dimidium lucrari apparet. Talis ultra dimidium laesio cum enormis sit, pactio nisi penitus rescinditur, mitiganda omnino in tantum est, in quantum, saluis paciscentium verbis, iustitiam migravit et aequitatem. Namque contra ius pacta conuenta, quo demum cunque modo inita sunt, rata non haberi, certum est (*l. 28. D. de pact.*) ex quorum numero mutui sunt contractus, in quibus pro viliori moneta bona et melior vel tacite repositur. Tertio spectare nobis liceat similem, licet inuersum, mutationis casum, ubi moneta bona credita est, ut eiusdem bonitatis repositur, quoniam rem mutuo datam, eadem natura, bonitate, qualitate reddi leges praecipunt (*l. 2. 3. D. de reb. cred.*). Quam ob rem si moneta ab tempore inde contractus facta deterior, debitor ad rependendum creditori tanto plus, quanta pecunia reddita minus, quam accepta, valet, obligatur: versa vice, si moneta interea temporis melior facta, tanto creditori soluat minus, quanta pecunia restituenda ad acceptam relata, plus valet. Per solutionem una res redditur pro altera, et loco alterius fungitur, ita tamen, ut una prorsus tantum, quantum altera, praestet, siue substantiam, siue qualitatem, siue usum spectes: quo ipso plane cum re credita idem creditor recipere dicitur. Recipere, vocabulum ex re particula a retro per apocopen facta, et verbo capere compositum, strictum, annotante Iac. Gothofredo (*ad Lib. III. Tit. II. de commiss. rescind. Cod. Theod. T. I. p. 272.*) ut reddendi vox, in mutuatitia pecunia usurpatur, et creditoribus iniungit retro accipere, quod dederunt, id est, creditam a se pecuniam; talem, aut valore eandem, quam, qualemque dederant. Idem autem creditorem qua quantitatem, valorem, recipere, dum monetam restituendam bonam cum accepta prava exaequaueris, ex monetae vilioris valore ad mensuram mercium reuocato, patescit. Numi enim tantum, quantum pro iis emi potest, valent. Inde quo deterior est moneta, quo melior, tanto pro ea res cariores, tanto aequiores, veneunt. Iam in mutuo, cum non tam numerum corpora,

corpora, non tam indiuidua ipsa, quam potius quantitas et valor eorum aequiuales considerentur (*l. 1. D. de contr. emt.*) vtraque summa, data et reddenda, per monetæ ad reprobam probæ reductionem, necessario est equiparanda. Generatim numerorum aestimationem, licet in dubium vocetur, in mutuo creditam esse, verissime dici potest, siquidem numi aestimari nequeunt, nisi cuilibet peculiaris constet, demonstrationis ergo, fixa aestimatio, quæ, per partes quasi eundo, totius infert summae aestimationem. Vis nominatim speciem numerorum mutuo dari; nominatim speciem, sit bona, sit praua, oportet recipias (*l. 1. §. 6. D. depositi.*) Sed indefinite aestimatos dedisti, aestimatione reddita debitor tuus omnino liberatur (*l. 7. D. de vsufr. ear. rer. l. 1. D. de aestim.*) Hinc, cum mille currentis monetæ dando, qua aestimationem in creditum iueris, necesse est, qua aestimationem recipias.

Tandem missa hac reductionis æquitate iuxta ac iustitia graue reipublicæ damnum datur, vix ac ne vix quidem reparandum. In officiis principum hoc vel imprimis numeratur, subditis, ne nimis obaerentur, neue ultra vires aes faciant alienum, prospicere. Nam si aes alienum ciuium opes superat, omnis operæ atque diligentiaæ fructus omnino absorbetur et soluendis vsuris debitores succedente tempore impares redduntur. Tam colonus, opifex, mercator sibi non sufficere vsuris soluendis; tum operæ et labore tantum, quantum vitæ degendæ et ferendo obaerationis oneri satis est, non lucrari; tum nihil moliri, nihil audere, sed aegritudine et otio torpentes in quoduis miseriae genus praecipitari. Ex quibus nemo non intelligit, quam captionem, hoc est, quod damnum et detrimentum rei familiaris; quam item creditorum voracitatem debitores perpetuantur. Certe, si verum vilioris monetæ valorem habuissent cognitum, non mille vilioris, sed 375 melioris monetæ solidos sumfissent mutuos in eadem bonitate, in eodem genere restituendos. Vir non magnæ pecuniæ tantum aeris alieni non conflasset, cui explicando aut plane impar, aut non sine fortunarum suarum strage par fuisset: vt, qui magnas inter opes, magnam inter conductam pecuniam, a pecunia inops, vnde rebus subueniat suis, non

habeat. Neque dicam, usurarum hic habendam esse rationem, quippe in moneta si soluuntur pinguiore, non in mille sed in 375 solidos pinguiores exfoluere usuras debitor tenetur.

Veritas dictorum constabit etiam ex verbis, quibus eiusmodi contractus iniire haecenus moris fuit. Scius Caio mille solidos monetae solitae et currentis (i. e. vilioris), ut post praestitutum tempus in moneta tum corrente et solita sibi restituantur, dat mutuos. An vere dederit mille? an imaginarie et nominatenus? est quaesitum. In verbis aliqua latet indeterminata ratio, cui fraus, et foenus, et laesio, et, nescio quid capionis subesse potest, nisi verba contractus ex mutui natura explicantur. Rebus enim non verbis lex ponitur (*l. 28. C. de usur.*), et Cicero, non ex verbis, inquit, ius pender, sed verba seruiunt hominum consiliis et auctoritatibus. Mutuum quidem in nostro casu per chirographum debitor est confessus nomine et re; nomine, qua monetam tempore contractus acceptam: re, qua aestimationem et exaequationem eius cum restituenda spectes. Certa pecuniae summa, mille scilicet solidorum, datur ei mutuo. Sed nulla pecunia est sine pretio, quin ipsum pretium in iure pecunia dicitur numerata quantitatis certae et taxatae (*§. 2. l. de emt. vend.*) Per pecuniam igitur numeratam creditam, quin pretium eius, aestimatio et taxatio, ad quam restituenda est, credatur, nemo in dubio ponet. Tandem restituendum est, quantum debitor accepit; accepit mille solidos monetae solitae, sed § deterioris, quam illa, in qua praestare restitutionem debet. Itaque mille solidorum loco ei tantum dati sunt 375 solidi monetae bonae, ultra quos nihil exigere iure creditor potest. Alias mille reposcens monetae solitae, nihil obstat, quo minus monetae reprobae et vilioris recipere mille solidos speciei datae, nempe monetae reprobae et vilioris, sine querela iubeatur. Nam creditum in eodem genere eademque, nec maiore nec minore, bonitate et qualitate, quamuis hoc nominatim cautum non sit, reddi oportet. Et, si ad numos respicis, semper qua eam bonitatem, quae ipsis contractus tempore fuit, reddendi sunt; quum ceterarum quidem rerum, pro diuersitate locorum et tempo-

ATQVE MELIORIS EXAEQVATIONE I^{ra}

temporum varia et mutabilis, pecuniae tamen vna et certa esse soleat
aestimatio (l. 2. D. de in lit. iur. l. 3. D. de eo quod cert. loc. dar. op.)

Haec, quo rectius intelligantur, inquirendum, puto, in signifi-
catum verborum: *monetae currentis* (*Courante, übliche, gaeng und
gebe Münzsorten, cursfrend Geld.*) Mutuo dantur mille solidi mone-
tae currentis, i. e. vilioris, quo ipso creditor indicat, se valorem
millium non aliter, quam pro temporis et vsus loquendi ratione ac-
cipi velle. Me itaque iudice vocabulum *cursfrend* explicare men-
tem creditoris, bona fide agentis, creditae pecuniae valorem expri-
mentis, videtur. Valor pecuniae alius est verus, alius impositivus
et plerumque, vt dixi, imaginarius. Ergo cum dubium nullum sit,
creditorum pecuniae creditae valorem non alium, quam verum et
realem, tributurum, ipse negare nequit, mille solidos, monetae pra-
uae, et v. c. quinis octonis partibus iusto deterioris, 375 solidis,
monetae bonae et probae, aequales esse. Si fictum et impositivum
valorem vellet, quidni fictum et impositivum reciperet? Neque con-
dicere licet, nisi 375 solidos bonae monetae, et vsuras ex istis 375,
vsque ad eum modum, quem leges permittunt, quoniam maioribus
quam quincuncibus, foenarari facile non licet. Qua de causa ma-
le in subsidium adfertur ex chirographo debitoris elicitae probatio.
Debitor sese eo obligat in mille; an ideo excluditur exceptio super
pecuniae qualitate: an potius verba: *monetae currentis*, tacite illam
praescribunt, cum contrahentium vterque, additis iisdem, ad exae-
quationem fortis datae et restituendae, vi contractus, sese obligaue-
rint? De quo loco statim plura! Alia ratio obrinet in locatione
conduktione, vbi quis alteri locat domicilium annuatim monetae
currentis triginta v. c. solidorum mercedem pactus. Quem con-
tractum, vilioe iam existente moneta in initum, non ad valorem pecu-
niae, nisi disertis verbis de illo conuenerit, internum, quin potius ad
externum, seu ad meram pecuniae summam adstrictum esse, plane in-
telligendum est. Tum locarii propter vilioerem monetam aut ni-
hil, aut parum adaueti, damnum locator vnice ferre voluisse cen-
setur; tum locarium ab eo statim, quo valor pecuniae legitimus res-
tituitur, tempore in moneta corrente pinguiore postulare iure me-
ritoque

ritoque potest: ut prorsus assensum non mereantur, qui ad contractus tempus, mutui instar, hic respiciunt.

Sunt, qui debitorem ad summam viliori moneta mutuo acceptam integram, in bona melioreque moneta restituendam teneri arbitrantur, argumentis videntes, pro cuiusvis propemodum libitu et utilitate effectis, quorum praecipua paucis enodabo: 1.) creditorem eadem restituta summa citra respectum ad valorem tantundem recipere, neque plus, neque minus, quam reapse dedit. Sed hi sunt, qui pretium pecuniae aut ignorant, aut propter fraudem faciendam, in eius naturam non inquirunt, digni, quibus cuprum et aes pro auro et argento rependatur. Ea, quae supra de pretio pecuniae generatim attigimus, hanc obiectionem satis diluunt; de erogandae pretio speciatim dicendi infra erit locus. 2.) Debitori non damnnum dari, nec laesionem afferri, si eadem summa ei restituatur, nulla valorum facta comparatione, aliorum est obiectio, imprudentia aut malitia priore haud inferior. Qui plus, quam accepit, siue qui eandem rem multo maiore, quam accepit, bonitate restituere cogitur, is omnino afficitur damno, eoque maiori, quo plus, aut quo idem maiore bonitate et praestantia, maiori que pretio, reddit. Ad haec mutuam sumere, et aes alienum contrahere tempore minus opportuno debitor cogitur, per calamitatem scilicet publicam pretiis rerum ad summum fastigium, et pecunia ad vilissimam redactis aestimationem. Ergo pro ea quidem summa, quam mutuo rogatam sumsit, ne dimidiam quidem mercium partem emere potuit, quam pro moneta meliore et bona emisisset. Nam tanto pluris merces veneunt, quanto acrior est moneta. Quo itaque iure solutio integrae summae moneta meliore praestari sine detrimento debitoris possit, desiderem equidem audire. Contrarium enim qui docent acquiratis mixti regulis, et ad ius facta temperantes, laesio alterutri parti ne fiat, ii iure optimo facere mihi recte censentur.

Alii 3.) debitorem ex contractu obligari praetendunt, quo stipulatus creditor est, ut data summa in moneta solutionis tempore solita et corrente reddatur; nam mutuuum non desinere aiunt mu-

tuum

tuum, licet contenerit vt res vel melior vel deterior restitnatur. Quos falsitatis coarguere ex supra allatis possum. Contractus, per quem altera pars vltra modum laeditur, non obligat. Sed per hunc mutui contractum, cum debitori enormis infertur laesio, rem protinus ex contractu gerere non tenetur. Creditor integram aere pecuniae summam, in moneta multo meliore repetens in lucro immodico atque vsuraria versatur prauitate, neque ex contractu est soluendus. Quodlibet enim lucrum sine alterius damno fieri non potest: multo minus istud, quod dimidium datae summae exsuperat. Debitor, si pactae summae monetam redderet probam, quid inde caperet detrimenti plerumque ignorauit, nec alium contractum aequiorem inire tum temporis potuit. Creditor e contrario obscaram contractus fallaciam sibi profuturam intelligens, praetextu consuetudinis et vsu fori sese excusat, si immodice, et supra spem atque opinionem ex tali dicitur contractu. Neque tritum axioma: volenti non fieri iniuriam, citare creditor potest. Licet inuito, licet secundum rationes displicentes, cum aliter non possumus, agimus: agimus volentes. Qui mutuat vrgente inopia negat nihil, et qui pecuniam credit, irritante auaritia, condiciones immites, prima licet fronte aequissimas, flagitat, quibus subscribere debitor in angustiis compulsus animo aduerso tenetur. Perinde est, ac si mercator non vendens manifesta rem iniquitate, sed emtorem emangens arguto, responderet: volenti non fit iniuria! In emtionis contractum veri et iusti rerum pretii ignarus consentit emtor; venditor contra ardentem deprehendens emtorem, qui non possit rem habere, nisi hanc emerit, premit, et rem non suo; sed emtoris pretio vendat: prorsus vt ait Cicero (*de leg. agrar. l. 15*): nihil est quod non emi possit, si tantum des, quantum velit venditor. Eadem ratio in contractibus huiusmodi obtinet, vbi vilissimo pecuniae pretio, iusti et aequi titulo, spes melioris pecuniae emitur certissima: foeneratorum instar, qui debitores inopia coactos, vt dixi, conditionibus obruunt inquis contra humanitatem et bonam fidem; quum tamen omnis contractus, cui vsuraria prauitas aut alterutrius partis enormis et supra dimidium inest laesio, sua natura, obligationis expers, rescinditur (*l. 2. 15. C. de resc. vend.*) Quae iniusti pretii

C

corre-

Etio eo vsque extenditur, vt si, propter tributa publica sub hasta venie-
 rint debitoris bona, minus iusto in debitoris fraudem pretio, venditio
 rescindatur (*l. 16. C. eod. l. 3. C. de iure fisci*). Itaque, quae manifesto
 bonae fidei aduersantur circa pecuniae pretium et rerum, sicuti nemo
 propugnat: sic tale contractuum genus, in quo obscura latitaret iniqui-
 tas et inaequalitas omni maior dubio, ego vero non defenderem, nec
 defendi ab aliis, vt validum, posse putarem. Aliud est simulatum, ali-
 ud actum. Idcirco si ita stipuler: mille numum quos tibi, minoris
 pretii, credidi, maioris, alterum tantum, pretii reddere spondes? in
 promptu est, tamen si interposita esset stipulatio, agi contra ius et acqui-
 tatem. Nunc, hoc cum non sit expressum, contractus tamen aut istam
 admitit, pro temporis et pecuniae ratione, interpretationem, qua
 quidem corrui; aut intelligendum est, alia mente contrahentes fuisse,
 et voluisse eam, quae verbis ipsis, pro iustitia rei et pretio pecuniae cre-
 ditae, explanata est. Sibi enim creditor imparet, qui legem contra-
 ctus, si quam aliam habuerit, non dixit apertius (*l. 97. D. de solut. l. 39. D. de pact.*) sic natura huius, de qua agimus, stipulationis, mille do,
 vt mihi praestituto tempore reddantur, haec est, vt ex ea directe agi
 aliter, quam facta pecuniae comparatione, non possit: quoniam cer-
 ti obligatio est, cui si detrahas vtilitatem exaequationis et reductio-
 nis; creditor periculum plus petitionis facile sibi creabit. At stricte
 qui plus petit, totam creditum amittit, qui minus, reliquum. (*Cuiac.
 ad Afric. tr. 3.*) Accedit vt idem, quod iuris creditori est, debitori
 quoque sit, cui in ambiguo nominatim leges fauent. (*l. 47. D. de ob-
 lig.*) Hinc interpretatio contractus mutui non vnius contrahentis de-
 siderio, sed communi omnium hominum vsui conuenire debet, inter
 quos, quacunq; in prouincia, numos certa lege aestimatos passim
 cum sua, tum publica aestimatione permutari constat. Eam aestima-
 tionem a tempore contractus ducendam, sane aequissimum est. In hoc
 enim, quod praefens fuit, magis consensisse contrahentes veri habetur
 similis, quam in id, quod sub incerto esse potuit (*l. 7. D. de auro*).
 Vterius iuris est, in contrahendo quod agitur pro cauto habendum
 esse (*l. 3. D. de reb. cred.*) atque id, quod actum est, nos sequi de-
 bere (*l. 34. D. de R. I. l. 33. de contr. emt.*); nam verbis extrin-
 secus quaedam produntur, alia tamen re aguntur, cuiusmodi exem-
 pla

pla exhibet tit. C. *plus valere quod agitur, quam quod sim. conc.* Hinc, ne simulate conceptum officiat ei, quod vere agitur, his legibus definitur: id, quod vere agitur, plus valere eo, quod simulate factum est. Sed in contractu mutui, vere quod agitur, est traditio rei fungibilis eodem genere et eadem bonitate reddendae. Quapropter pecuniae genus et bonitas, quin in mutuo spectentur et contractus naturam constituent, nullum plane est dubium.

Rursus alii: 4) Qui mutuo dedit beneficium dedit, quod male redditur, si de summa accepta pro valore interno detrahimus. Sed separetis, obsecro, actiones; mutuum dans, beneficium mihi et damnum et iniuriam simul dat, qui vilissimae vice pecuniae ab me probam et optimae notae, et dimidia parte meliorem, aequali summa reposcit. Nam, si quis teste Seneca (*de Benef. VI. 4.*) plus laesit quam ante profuit, non tantum gratia exinguitur, sed vlciscendi querendique libertas fit. Pensatum est creditum damno, et creditor erga debitorem suum est atrox, quoniam plus ex pacto aufert, quam ex crediti natura repetere potest. Nobis profuisse, sui licet ipsius causa, non nego. Verum enim vero, si inde beneficii onus nostro rependendi damno imponere nobis vellet, Philosophus (*de Benef. VI. 12.*) ipsum confunderet: ille, inquam, qui totus ad se spectat, et nobis prodest, quia aliter sibi prodesse non potest, eo mihi loco est, quo, qui pecori suo hibernum et aestiuum pabulum prospicit — multum a beneficio distat negotiatio. 5) Maximi ponderis, si quid iudicio, argumentum Kaestneri amplissimi, Goetringensium Professoris est, quo singulari programme (*de restitut. mutui mut. pec. val. Lips. 1750*) probatum iuit, imminuto pecuniae valore externo debitorem eo, quo solutionis tempore, valore reddere mutuatum summam oportere. Qua quidem in decisione acutissimum autorem, obferuo, mutationem monetae particularem ob oculos habere, minime, qualis nostro aevo accidit, vniuersalem; ad quam tamen, cum argumenta ibidem adducta facile adcommodari, et eam in partem accipi possint, ac si eadem, pro vtraque monetae commutatione, contractuum ratio foret: eorum, in rem meam duxi, meminisse.

— Non subito contingit, sunt verba auctoris (§. 9), vt monetæ valor externus imminuatur, nisi forte extraordinariis in casibus — plerumque constat de eiusmodi mutationibus, antequam fiant publico — *Liberaturus ergo se fuisset creditor ab hac pecunia cuius valor imminutus est, si illam in potestate sua habuisset, saltim minori cum damno, quam iam pateretur, si a debitorum illam eo valore, quem tempore mutui dati habuit, reciperet. Neque solet illa pecunia, cuius externus valor internum multum excedit, thesauri loco custodiri* — Non igitur credibile est, pecuniam hanc, si mutuo data non fuisset, apud creditorem adhuc esse exituram; sola potius mutui datione effectum est, vt creditor liberare se ab illa non potuerit. Quodsi ergo debitor eiusmodi pecuniam, eo quo accepit, valore redderet, vique iniuriam creditori inferret — Si enim mutuum contractum non fuisse fingamus, liberum erat creditori, retinere pecuniam vel non retinere; deinde præsumi oportet, hoc in quo versamur casu, creditorem pecuniam fuisse expensurum, non quidem, vt illa vteretur, sed ne illam retinendo damnum perferret. Cum ergo libertas creditoris nullo modo restringenda sit, damnum quod is ob mutuum datum perferret, solutione auertendum est. Igitur imminuto pecuniae valore, reddi illam oportet eo valore, quem solutionis tempore obtinebat, aut suppleri quod ei ad hunc valorem iam deest — Hoc amplissimi viri iudicio, quid grauius sit, fateor me nescire, nec in istorum hac de re controuersis, aliquod momentum tanta æquitatis affectum specie, nec tamen quid contra illud, si in nostrum vertitur casum, respondendum sit, a quoquam dictum esse, reperire. Quapropter ad locum hunc obseruare mihi nonnulla liceat. Nempe de monetæ mutatione loquor vniuersali, qualem recenter experti sumus, atque creditorem puto, quamuis se ab pecunia leuiore liberaffet eamque expendisset, lucrum tamen facere tam insigne eo vix potuisse, melioris tantæ vt pecuniae pretium nactus fuisset. Nam creditor monetam expensurus deteriorem, aut mutuo eam dedisset; aut in commercio et negotiis ea vsus esset; aut pro illa fundos et res alias venales, eo quidem, quo pro pecunia venire bona solent, pretio coemisset. Quod ad illud, eo ipso casus, de quo agimus, recurrit, suo remittendus loco. Quod ad istud, hoc modo pluris per eam haud lucratus

cratus esset, quam per summam melioris monetae minorem leuiori aequivalentem. Quod ad hoc, id partim raro accidisset, siquidem pretia rerum immobilium, agrorum, fundorum, praediorum cet. pro valore pecuniae vilioris exiguo cariora sunt, partim eiusmodi res plerumque pro pecunia bona, aut ad bonam reducta prava, vendi consuecunt. Si quod tandem lucrum ex tali emtione creditor fecisset, id sane admodum fuisset fortuitum, atque probationis inde conficiendae haud satis argumenti. Neque video, quid creditorem impediret, quominus enata ista quaestuosae emtione occasione, nisi, unde emeret in numerato ipse haberet, aliunde corrogatis uteretur ad emendum nummis. Nemo enim pecuniam mutuum dare, qui carere ea non posset, aut qui ea alienata ipse indigeret, solet: praesertim tali tempore, ubi de habenda pecunia quemque deceat esse sollicitum. Nec generatim euictum mihi videtur, quod vir ampl. grauiter innoit (§. 10), damnum ex valore pecuniae mutato ortum quodlibet debitori, domino eius temporario, ferendum esse. Quam sententiam de monetae mutatione latam particulari, ut libenter concedo; sic de vniuersali acceptam non possum non negare. Monet praeterea (§. 12) non ad valorem internum solum in solutione attendendum, neque creditorem omni casu contentum esse oportere, si tot, quot dedit, numos ea, qua dedit, bonitate interna recipiat — Etenim, inquit, si pecuniae mutuo datae ea fuerit interna bonitas, ut auctus postea sit externus valor, praesumere licet, creditorem illam fuisse retenturum, contra vero, si imminutus sit valor externus, creditor certe illam non erat custoditurus, cum acceptis ad rem suam hominibus, de interno monetae, quam manibus versant valore plerumque constare possit. *Soluere autem, ex mea sententia, est creditori reddere, non quantum dedit, sed quantum, si mutuum non dedisset, habiturus iam esset* — Illustrationis ergo pauca subnectam, ad solutionem debiti facientia. Si creditori non quantum dedit, sed quantum, si mutuum non dedisset, habiturus fuisset, reddere oportet, id non absolute, sed secundum quid intelligendum est. Reddendum ei tantum est, quantum habiturus fuisset, si pecuniam in arca abdidisset, et aucto eius valore externo aliquid inde fecisset lucri. Sed debitor non tenetur ad refundendum creditori lucrum cessans, id est, ad illud lucrum, quod felici for-

te auspicio, aut crebriore pecuniae versura, aut alio quouis modo comparare sibi potuisset. Creditor mutuo dans sese obligat, pro patris usuris se sua carere pecunia eiusque dominio, et quacunq; ex ea utilitate, ad tempus vsque solutionis velle; velle etiam, vt creditor eam crediti nomine eo vsque retinear. De valore interno pecuniae mutabili, quae ampl. vir affert, ea cum ex antecedentibus, tum ex paulo subsequens lucem foenerabuntur. Namque valorem pecuniae internum, reipublicae interest, fixum et stabilem esse; qui, quum interdum mercimoniorum instar, auri et argenti, immo ipsius pecuniae, copia forte fortuna ingruente mutetur: ne pretium pecuniae ea propter mutetur, neue pretium rerum simul varictor, est cauendum. Inde ne plus pecuniae, quam expedit publicis vsibus, in republica adfit, principum est curare; inde abundans pecunia, aurum aut argentum, cohibenda in aerario, aut commercii peregrinis et debitis externis impendenda soluendis. De his, item de aliis, quibus pecuniae ad merces pretium stabilitur, modis prolixè egit ampliff. Hanouius (*Polit. T. IV. 326. 327. sqq.*)

Quod ad ius, quod debitorem liberari vult, si summam tanto minorem soluit, quanto pecunia reddita melior est; id, quamuis in Romanorum legibus diferte non sit expressum, indubitatum tamen esse, ex argumento legum bene multarum credo confirmari posse. Nonnullas exempli loco adferam, vt rationis praecepta cum consuetudinibus et iudicatis populi, terrarum orbis domini, consonare, ostendam magis, quam iuris personam ciuilem induam interpretis. Nam leges ex hominum placitis et decretis profectae saepius, temporum varietate et forma rerum publicarum, expoliantur et mutantur; tamen recta ratio insita in natura, quae fundamentum legis est, ex legis sententia perspicienda et factis hominum adcommodanda est. Hinc quicquid super non numerata pecunia legibus sancitum est, nil obstat, quo minus de substituto pecuniae imaginario valore in veri valeat locum, et in rem adhibeatur praesentem. Illustris est *l. 2. C. de non num. pec.* minorem pecuniam te accepisse te maiorem cautionem interposuisse, si apud eum, qui super ea re cogniturus est, consliterit, nihil ultra quam accepisti, cum usuris in stipulatum deductis, restituere

re iubebit — Quid, quaeso, hac lege clarius et ad rem nostram magis adposite dici potest? Pecunia datur minor 1) si summam non integram, i. e. si non tot numerorum individua, dantur, quot cautione interposita scripta sunt, v. e. si tibi decem dem et pepigero ut viginti mihi debeantur, non nascitur obligatio ultra decem (*l. 17. D. de pact.*) Obligatio enim re contrahi non potest, nisi quatenus aliquid datum sit; non sunt viginti, qui videri volunt esse. 2) Minor etiam datur, si summa data non cum, quem proba pecunia, et per longum tempus, et apud plerasque recepta gentes habere debet, valorem habet; si pecunia aërofa, quae in se habet aëris plurimum, pro bona et incorrupta, qualis repetitur, datur. Quam postremam animaduersionem, si cum lege conferas, totam, de qua agitur, rem lege videbis definitam; nihil te ultra, quam accepisti, debere; quin immo vsuras sortis datae mutuo quantitate determinandas esse deprehendes. Eleganter hanc legem comprobatur Synops. Basilicorum (*c. 60. de non num. pec.*): non solum qui nihil eorum, quae scriptura confessus est, sed etiam qui plus, quam acceperit, scribit (*ὁ πλειονα ὧν ελαβε χειρογραφήσας*) non numeratae pecuniae exceptionem opponit; et paulo post *c. 67* qui minus accepit, et maiorem summam se accepisse cavit, recte illi maiori summae opponit exceptionem non numeratae pecuniae. Quorum verborum sententia nonne facillime in casum nostrum hoc modo vertitur? qui minorem summae alicuius valorem accepit et maiorem se redditurum cavit, recte illi maiori summae valori opponit exceptionem non dati valoris maioris.

Porro cautum est: (*l. 9. C. de non num. pec.*) cum ultra hoc quod accepit, neminem obligari posse constet, si stipulatione interposita, placita creditor non dederit, in factum dandam esse exceptionem. — Sed debitor monetam accepit deteriozem, tenetur ergo eiusdem commatis deteriozem restituere, aut pro ratione valoris ad deteriozem exaequati meliorem. Placita creditor non dedit, si summae in instrumento nominatae et leuioris monetae, bonae tribui vult valorem. Huc refer *l. n. §. 1. D. de reb. cred. l. 5. C. de non num. pec.* ad quam legem adnotare lubet particula quasi significari creditam fictitiam pecuniam, ratione scil. quantitatis et valoris.

non autem veritatem dationis, ex qua creditor petitionem institueret suam. Lex alibi (*l. 50. D. de solut.*) me, si pro auro, quod promisi, tibi ignoranti quasi aurum aes soluerim, non ait liberari: ex qua inuerse elicitur, eum qui mihi aurum et argentum promittens aes dederit, aurum et argentum repetere non posse. Si fauendum est creditori, cui minuto pecuniae valore interno fortem ea, qua dedit, bonitate reddi, aut tantum, quantum data pecunia fuit praestantior, suppleri, leges praecipiunt: annon, si ita est, aequitas etiam postulat, aucto pecuniae valore interno, tantum ut detrahar debitor summae reddendae, quantum pecunia restituenda est accepta melior, ne alioquin claudicat contractus? Item is, qui solum mille in nomine dedit, quo iure recipere mille in re potest? plus acciperet, quam dedit. Nomen enim non soluendum est, et solutionis verbum magis ad substantiam obligationis, quam ad numerum solutionem refertur. (*l. 1. §. 4. D. de sol. et lib.*) Adde, solutionem pecuniae communiter fieri per numerationem. (*l. 49. D. eod. l. 4. §. 7. D. de re ind.*) Sed numeratio non est sine datione corporum et indiuiduorum; quorum eum cuiuslibet suus et verus valor insit, hunc imprimis nominandae summae principium esse, patescit. Quod, nisi sic se haberet, hunc aliquem esse in iure locum, vnde foeneratores immodicis opportunam vsuris occasionem nanciscerentur, arbitror: quas, quod legibus vetitae sunt, eum non auderent nominatim stipulari, maioris pretii numis permutatis, minoris in creditum darent, ut maioris sibi pro iis aliquando redderentur. Multi habent in ore, mutatio monetae si forte ceciderit interna, omne lucrum vel damnum debitoris fieri: creditoris, si externa; quo, ut in multis, rei aliquid obscuritatis magis adfertur, quam luminis. Natura mutui est, contractus seruari aequalitatem, ne quidquam alterius fiat detrimento. Quare cum detrimentum per pecuniarum pro valore interno exaequationem, quoad satis, euitetur, denuo necessitas eius in oculos incurrit. E contrario, posita valoris interni exaequatione, caussarum patronis sacra distinctione, quae est inter contractus et solutionis tempus, possumus superfedere. Bonitatem internam tempus contractus; sed solutionis exteriam dicunt respicere. Sed dic breuiter: ad contractus tempus, et pecuniae pro vero et interno valore aestimationem, si semper attendas, carere tum poteris subtilitate, qua te inuili irretitum sentis distinctione. Externus mone-

monetas valor, quascunque denum, incidit mutatio, naturaliter intereo debet respondere; si quid aliter constituitur, id a natura monetae et ab constante pecuniae pretio aberrat, ut in antecedentibus satis superque dictum est.

Cur in hodiernis mutui contractibus ad solutionis tempus tanto fuerit opere comersa attentio, mirari equidem soleo. Cur creditor, bona si egerit fide, restitutionem pecuniae pro tempore contractus valore, more solito, non est stipulatus? Prauam monetam credidit spe recipiendae melioris, tantaeque, quam in foenore posuit, summae. Hac spe delinitos plerosque fuisse haud est negandum, licet ex eo, quod monetam currentem reddi sibi syngrapho cauerint, contrarium apparere praetendunt. Praetendunt item, accidere potuisse, ut reddenda vilioris, quam collocata fuisset futura commatis, ad quam accipiendam vi contractus sese fuisse obligatos. Bona verba! Quod sibi obrudi creditores pecuniam data multo viliozem passim essent, credat Iudaeus Apella! Obscuritas inest verbis contractus; promissa restitutio est in moneta corrente: subintelligitur autem tali, qualis datae mutuo aequiualeat. Dicant creditores, quatenam ipsis, quo redditionem pro monetae valore solutionis quam contractus tempore maluerint, ratio fuerit? an indemnitatis praestatio, an spes lucrosa? hoc lucrosior, quo longius terminum solutionis sibi curarunt preferri. Dicant, cur reprobam pecuniam indefinite, citra aestimationem ullam, vago monetae currentis significatu, quam definite ad certum pecuniae probae valorem redactam, credi praecopauerint? cum mercatorum, eorumque qui rebus bene prospiciunt suis, exemplo facillimum ipsis fuisset, summam reprobam, collybitarum ope, ad probam monetam ut c. ad aureos hollandicos, seu Ludouicos aureos reducere. *Holl.*, qui 1000 monetae vilioris, eo quo Ludouicus aureus $13\frac{2}{3}$ est solidorum (*thaler*), tempore, sub usuris foenerat, summam mutuo datam syngrapho caueri sic sibi poruisset. do. 375, ea lege, ut Ludouicus aureus valeat solidos quinque; (*375 rthl. den. Ld' or. zu 5 rthl. gerechnet*) aut sic: do. 1000 ea lege, ut Ludouicus aureus valeat solidos tredecim cum triente (*1000 rthl. den. Ld' or.*

zu $1\frac{2}{3}$ rthl. gerechnet). Quo Ludouicus solidis aestimatur paucioribus, eo solidi melioris, necesse est, notae sint. Si tredecim cum riente aestimatur, duplo cum semisse, amplius, acrosior est solidus, quam si quinque. En breuissimam mutui normam illegitimi collybi et quaestus fontes pecuniarii perplures obstruentem.

Eo quidem modo principibus agere demum conuenit, qui litium finem facturi, siue ut ait Seneca, ne calumnia in infinitum excrescat, huic malo salutem quaerere instituunt. Exaequanda est pecunia mutuo data cum restituenda, pro varia bonitatis internae ratione, cuius, nisi facilius adsit via, collybus, siue receptus pecuniae valor (*der iewesmalige Geld-Cours*) singulis annis, singulis item mensibus, ab collybiffis ex fide et officio consignatus, normam praebebit satis tutam. Quo minus moneta mutuata a probitate pristina debitaque recedit, eo creditor recipit plus: et contra eo minus quo pluris dissidet. Tandem, quae ex integra forte vilioris monetae debentur, usuras, posteaquam ad meliorem reducta est, non totas deberi liquet. Nam de illis idem, quod forti accidit, iudicium. Mille solidi leuioris monetae cum de Potentissimi Nostri Regis edito monetali recentissimo, aequentur 375 solidis bonae et antiquitatis Saxonicae, usuras debitorem oportet refundere tantum in 375 solidos, octodecim videlicet solidos totidemque grossos, sed bonae monetae. Ea quidem res, sicuti iusta et aequa ab omnibus habita, sic ante hos C. annos ab diuae memoriae IOANNE GEORGIO I. Electore Saxoniae, decisa et inter leges relata Saxonicae publice est, peculiari constitutione, cuius argumentum infra pluribus excitabo.

Obstare videtur pecuniae creditae atque reddendae exaequationi l. 24. §. 1. D. de pigner. act. quippe cuius auctoritate ill. Leyferus pronuntiat (*Med. ad Pand. Spec. 529. med. 18.*) debitorem reprobos numeros, cum publice valerent, accipientem et tanquam probos expendentem, tum, cum infra valorem antiquum ponuntur, eosdem non reddere creditori posse. Quod ad legem, eius argumentum exaequatio pecuniae in mutuo potius probatur, quam reprobatur.

Nam

Nam si numi reprobī proborum loco restitui non debent, sequitur, ut neque dari cum in finem mutuo possint. Quod vero ad Leyseri sententiam, si vel maxime in contrarium nostrae adduceretur, ei tamen non contrariatur. Primo enim ill. vir de moneta loquitur particulariter mutata, nempe si aliquod saltem numorum genus, aut publice sublatum, aut infra valorem pristinum positum sit. Et eo quidem loco Constitutionem Electorem Saxon. 28. P. 2. ad monetæ deprauationem vniuersalem spectare contra Ludouicium et Bergerum ostendit; id, quod l. c. p. 492. diferte docet. Secundo verbis: si aliquod saltem monetæ genus mutatum fuit, et numi isti, quos olim mutuos dedit creditor, tanquam bonos expendit debitor, vel plane commercio exempti, vel infra antiquum valorem positi fuerunt, praesens tempus spectandum, et numi, quales nunc recepti, soluendi sunt — his, inquam, verbis non obscure significari, ill. virum casum proferre, quò numi tempore solutionis reprobī, contractus tempore vt probi valuerint, atque vt probi a debitore fuerint expensī: i. e. quum pro reprobis prorsus tantundem mercium haberi, quam pro bonis potuerit. Is casus, licet rarus admodum, nostra tamen aetate euenit et per breue tempus subsistit. Cum in eunte bello tremisses Porussici Saxonice insignibus percuterentur leuioris iam commatis, quam moneta Saxonica solita et currens; tamen dimidium fere anni, amplius, Ludouicus aureus quindecim huiusmodi tremissibus taxari solebat, valebatque plurimis in locis talium tremissium solidos quinque. Idem tum temporis pro istis, quod pro aequali monetæ bonae quantitate, potuit emi; et non vereretur dicere, eo tempore, qui tales mutuo dedit, monetam bonam et meliorem recipere debere, cum debitor eos prorsus ad monetæ bonae valorem expendit. Aliud enim est valere, aliud valere proborum instar numorum. Reprobī terniones Porussici valuerent durante bello, sed vt reprobī, non vt probi, neque, cum pro iis minus quam pro bonis comparari potuit, vt probi expendi potuerunt. En casum ill. Leyseri subtilem, neque omnibus aequè perspicuum: multo tamen ab eo distantem, quem nonnulli sibi fingunt, arbitrati sese monetam prauam, vtpote tremisses pseudosaxonicos, in soluendis tributis pleno

valore expendisse. Qui, si octies centenorum millium tributum non esse, nisi trium forte millionum bonae monetae perpenderent, facile, quantum per exactam pravae monetae summam soluissent, ipsi perspicerent. Unde quoque deprehendimus, in recentioribus stipulationibus, publicis aequae ac privatis, 1000 ducatos et 8000 monetae currentis pravae solidos iuxta fuisse aestimatos. Taceo Leyserum praeter ea respicere ad monetae mutationem particularem, haudquaquam, qualis nostris diebus contigit, ad vniuersalem; de qua praecipue Dni Io. Georgii agit constitutio. Quod restat, in lege allegata per numos reprobos non stricte indicantur qui in perpetuum reprobantur, hoc est, qui edicto publico sublati sunt, prouti arbitratur Schorchius, vir consultiss. (*Prol. de eo quod inst. est in redd. mut. in casu si monet. mut. med. temp. facta est. §. 16. p. 27.*) Sed per illos intelligere oportet, non tantum adulterinos, qui infra valorem iustum cusi sunt, sed et qui a principe reprobantur; id, quod ex scriptoribus rei numariae veteris satis comprobari potest.

Cetera in eo quoque, quem Leyserus ab monetae mutatione particulari sumit, casu, animum ad tempus magis contractus, quam ad solutionis referri vellem. Eo enim recte explicato, et cum solutionis tempore comparato, creditori vllum inde emergere damnum posse, equidem non crediderim. Nempe mutuo aliquis dedit mille in bacionibus, eo tempore, quo in vsu sunt, et quo pro iis tantum emi potest, quantum pro mille, monetae currentis probae indigenae. Mutuantur ergo baciones, vt moneta currens valoris veri, v. c. mille solidorum. Solutionis tempore baciones vsu exenti, edicto principis sublati, aut infra valorem pristinum positi sunt. Tum solutione praestita aliud monetae genus currens probum bacionibus substituitur, vt creditor post solutionem verum habeat valorem mille solidorum monetae currentis bonae, et pro iis tantundem, quam pro bacionibus, contractus tempore, emi possit, mercium pretiis interea notabiliter non mutatis. Itaque videmus casum explicari difficilem, sane subiectum rationi, et pecunia vt communi rerum pretii mensura considerata, tam perplexum, vt prodant, non esse

esse, neque aliter, quam per inutilem plerumque distinctionem inter monetæ bonitatem externam et internam, inter contractus et solutionis tempus, complicari.

Quemadmodum Leyserus profus in ea, quam, rationibus subduximus philosophicis politicis, versatur sententia: sic insigne Jurisprudentiæ Saxonicae decus, Carpzovius, (*Jurispr. Rom. Sax. P. II. Const. 28. p. 658.*) eandem quoque rætur. Affirmat enim, debiti solutionem secundum aestimationem et rationem antiquæ monetæ qualis contractus fuit tempore, fieri oportere; adeo, ut aucta moneta, aucta scil. eius bonitate intrinseca, debitor additamentum detrahatur, eadem vero deminuta istud supplere teneatur — cum creditor neque lucrum neque damnum vllum sentire ex solutione sibi facta debeat, sed illud ipsam præcise consequi, quod reuera debetur — Quo ipso loco aestimationis monetæ fundamentum materiam monetæ et pondus esse, rectissime Carpzovius perhibet. Ea de re extat quoque Ant. Fabri de variis numariorum debitorum solutionibus proluxa tractatio; at edicto diui electoris Saxoniae, IOANNIS GEORGII I. super leuiore conducta pecunia (*Cod. Aug. T. II. c. 5. membr. 1. p. 886. sqq.*) illustrius nihil est, quippe quo, ad dirimendas circa monetæ leuioris mutuam dationem lites, restitutio secundum bonitatem tempore contractus internam, fieri in hanc iubetur sententiam: *Nachdem bis anher in unserm Churfürstenthum und Landen — viel Klagens Lamentirens und Querulirens entstanden, daß die Creditores mit allzugrosser Importunitæt ihre Debitores angefallen, die Anno 1619. 1620. 1621. und 1622. bey damals gangbarer leichten Münze gemachten Schulden, mit schweren Münzsorten, völlig wiederum erstattet haben, auch unangesehen derer Debitoren Armuth und grossen Calamitæt auf völlige Zahlung derer Capitalien und Zinsen, auch wohl über das alterum tantum, durch allzugechwinde Executiones wieder sie verfahren, und ganz keine Fristen verstaten wollen — Dargegen aber die verarmten Debitores theils die grosse Unbilligkeit der Wiederzahlung des schweren Geldes für leichte Münzsorten, ohne vorgehende Reductiõn angeführer, und sich deswegen auf aller Völ-*

ker Rechte bezogen, theils auch den grossen Abgang ihrer Nahrung, notorische Calamitact, klaglichen Zustand und Armuth, darcin sie durch das allgemeine Kriegswesen, ohne alle ihre Schuld gerathen, vor Augen gestellt — Als hat uns unser von Gott verliehenes und anbefohlnes hohes obrigkeitliches Amt bemogen, diesem — Unwesen, sowohl in puncto deductionis monetarum, und alterius tanti, als auch des Aequilibrii halber, unter denen Glaebigern — und Debitoren seine abbessliche Masse zu geben — Setzen demnach, ordnen und befehlen hiermit ernstlich, daß in allen unsern sowohl unsrer Lehnten, Beamten und Unterthanen, Gerichten, hinsübro ohne Unterscheid der Personen und Schulden, aus welcherley Handlungen und Contracten dieselben herrühren möchten, unsere Landesconstitution 28. Part. 2. praecise beobachtet, und Inhalts derselben die Wiederzahlung anderer Gestalt nicht, als nach dem Werth, so Zeit des Contractis gewesen, dem Schuldner auferleget werden soll; damit auch hierüber aller Streitigkeit, so aus dem zweifelhaften Münzwertb einer oder der andern Zeit entstehen könnte, der Weg abgeschnitten werde, wollen wir diese unsere Verordnung allein von denjenigen leichten Münzen, so Anno 1619. vom 1. Ianuarii 1620. 1621. 1622 bis auf den 31. Iulii Anno 1623 üblich gewesen, als deren Abgang damals augenscheinlich verspüret werden können, verstanden haben, wie denn ferner die Reduktion ohne Unterschied itztherührter Jahre nach dem Valor des Reichsthalers, was derselbe jedesmal, öffentlichen Edict nach, gegolten oder in Entstehung Zweifels, solchen zu 5 Gulden gerechnet, anzustellen, welches alles, jedoch bey itzigen und künftigen der Wiederbezahlung halben erhobenen Klagen und rechtlichen Processen, wenn man, daß der Contract bey leichter Interimsmünze geschlossen, alsobald ex inspectione Instrumenti seu obligationis gewiß seyn, oder in continenti dargethan werden kann, in Acht zu nehmen.

Alia, quae extant iuris antistitum, Berlichii, Lauterbachii, Richteri, Hoppii, Struvii, Bergeri, Mynsingeri, Stryckii, aliorum, super re praesente dicta et iudicata, dilucidationis causa addere, id vero non est huius loci. Vnum allegare sufficiat, Io. Ludouicum Schmidt, Iureconsultum Ienensem celeberrimum meritis.

rentissimum, qui omnium hac in re diligentiam longe superavit, edito nuper libro (*ausführliche Abhandlung der streitigen Rechtsfrage, in was für Münzsorten ist eine Geldschuld abzutragen?* „) in quo litigiosam hanc causam limatissimo iudicio, et iuris, quae ei est summa, peritiâ pertractavit, (§§. 156. 159. 163 fqq) Ibi plura quidem a me, nisi breuitas obstatet, hic commeranda attingit v. c. an decrecente externo pecuniae, et in pristinum restituto valore, pretiis rerum et mercium nondum ad pristinum reductis, restitutio nutui pro bonitate monetae interna debeat fieri? id, quod negat vir consultiſſimus (§. 194), argumentis suffultus certa demum cum restrictione, ut mihi videtur, validis. Attingit etiam plura rei numariae momenta, quae, ut publice audiantur, nimium dici nunquam possunt. Cuius modi est (§. 56.) an, et quatenus interna monetae bonitas ab externa possit dissidere? Siue, quod perinde valet: an et quatenus prauam liceat monetam eudere? quam quaestionem false admodum disputat Leyserus (*Med. ad Pand. c. l. p. 927*); quam negarunt Puffendorfius, Bôdinus, alii plurimi; quam multo ante Theodoricus Rex improbauit, apud Cassiodorum (*Variar VII. 32*) — omnino monetae debet integritas quaeri, ubi et vultus noster imprimitur, et generalis vtilitas inuenitur. Quidnam erit tutum, si in nostra peccetur effigie? — Inter cuius Cassiodori et nostrorum temporum facta, cum non sunt anni plures quam mille propemodum trecenti, potest, an in alterius effigie principis peccare, et alius populi monetam deprauare publice, quouis praetextu, liceat? qui post nostrorum temporum facta, annis mille trecentis interiectis viuuit, dicere alter Cassiodorus. Et haec quidem de pecuniae exaequatione haectenus.

CORRIGENDA

p. 12. lin. 5 statim ab initio post vocabulum dimium, omiſſa adde verba sequentia: laedi, creditorem autem supra dimidium. p. 24. l. 14 pro C. 1. §. 4 lege: l. 54

CON-

I N T E N T A

<i>Mutuum ut nostra aetate proprie vilis sumum pecuniae pretium, contra- bi consuevit</i>	p. 3.	<i>moneta acceptam in meliore inte- gram reddere oportere: primum et secundum</i>	16.
<i>In pretium rerum et pecuniae generatim inquiritur</i>	4.	<i>Tertium, in quo refusingo indoles et sensus istiusmodi contractuum ulterius expenduntur</i>	16-18.
<i>Metalla, ex quibus numi percipiuntur, proportionem quandam ad merces statam pro copia et usu habent</i>	5.	<i>Quartum et quintum, quod praesertim Kaesneri est, et ad monetae mu- tationem uniuersalem facile trans- ferri potest</i>	19-20.
<i>Hinc mercium et metallorum pretioso- rum pretium ad inuicem sola bo- nitate determinatur</i>	6.	<i>Continuatur Kaesneri argumentum; inprimis super vocabuli reddere significatu</i>	21.
<i>Ad numos, s. ad pecuniam signatam transiunt</i>	6-7.	<i>Ius creditori pecuniam viliozem ad ex- aequationis regulas reddendi, ex argumento, legg. Rom. deducitur</i>	22.
<i>Auri ad argentum proportionem antiqui- tatis uariae</i>	7.	<i>Et quidem ex l. 2. C. de non num pec. et ex Syn. Basil.</i>	22-23.
<i>Mutui natura quid, postea qualibet pe- cuniae qualitate, requiratur; quid reddere, quid tantumdem pecuni- ae sit reddere</i>	7-8.	<i>Ex l. 5, 9 C. eod.</i>	23.
<i>Bonitas interna prout fundamentum pe- cuniae est</i>	8.	<i>Ex l. 50 D. de solut.</i>	24.
<i>Monetae mutationes ut de iure et ratio- ne instituantur</i>	9.	<i>Cur in hodiernis mutui contractibus creditor tantopere ad solutionis, minime ad contractus tempus, re- spexerint?</i>	25.
<i>Quomodo pecunia mutuo data uillor re- stituenda sit? quaestio proponitur, et soluitur per exaequationem uiri- usque summae, mutuo datae et re- stituendae, pro valore interno</i>	10.	<i>Principium est, ad euitandas lites, ex- aequationem mutuae et restitu- endae pecuniae ciuium iniungere et praescribere</i>	26.
<i>Huius exaequationis necessitas patet ex natura mutui</i>	10-11.	<i>Quo id fieri optimo possit modo?</i>	26.
<i>ex laesione debitoris, quae ea- oritur neglecta</i>	11-12.	<i>l. 24. §. 1. D. de pignus. act. exaequa- tioni pecuniae non obstat</i>	26-27.
<i>ex damno rei publicae per eius neglectum dato</i>	13.	<i>Nec Lexeri huius legis explicatio ei con- traria est.</i>	28.
<i>ex ipsis uerbis, quibus huius- modi contractus mutui contra- hantur</i>	14.	<i>Carpouius in eadem, quam asserimus, sentia est</i>	29.
<i>Significatus uocabulorum monetae cur- rentis, quo isti contractus mutui utur, exponitur legitimus</i>	15.	<i>Edictum diui Io. Georgii I. quo mutui leniore moneta contracti restitutio pro melioris pecuniae exaequatio- ne, recitatur</i>	29-30.
<i>Argumenta enarrantur eorum, qui debi- torem putant summam in vilioze</i>		<i>I. L. Schmidii liber hanc in rem re- cens editus, propter praestantiam laudatur</i>	30-31.



ULB Halle

3


003 770 109



50







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

2

Ye 5. num. 31. 1763

DE
PECVNIAE DETERIORIS
ATQVE
MELIORIS EXAEQVATIONE

7a
8

PRAESERTIM IN MUTVO
DISSERTATIO IVRIS NATURAE POLITICI

QVAM

A. D. XVIII MAII MDCCCLXIII

PVBlice VENTILANDAM PROPONVNT

PRAESES

P. 19

IOANNES DANIEL TITIVS

PHYSICES PROF. ORD

ET

RESPONDENS

IOANNES CHRISTIANVS FRANKE

WITTEBERGENSIS

IVR. CVLTOR

WITTEBERGAE

IMPRIMEBAT EPHRAIMVS GOTTLOB EICHSFELD

ACADEMIAE TYPOGRAPHVS

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE